



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

De Irregularitate ex defectu ætatis, Caput XXI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

ergo, nec debere prohiberi prædictum non habentem Patrimonium: ne id dicas, inquam, nam, præterquam, quod, si illicitè amittat, saltem ab Episcopo est arcendus ab altari, donec sufficienti Patrimonio fulciatur; certè est manifesta disparitas; ille enim initiatus fuit, existens in paupertate, atque adeo cum impropria Irregularitate; hic vero fuit initiatus cum sufficienti Patrimonio, atque adeo non cum Irregularitate.

5. Ad Secundum. Non inuenio aliam poenam in Jure communi.

§. II.

Quis dispensat in Irregularitate orta ex Paupertate?

1. Certum est Primo, Pontificem dispensare posse, ut pauper promoveatur.
2. Certum est Secundo, Non posse Episcopum, propter rationem toties dictam, quia Inferior Papa non potest dispensare in legibus Juris communis.
3. Certum est Tertio, Tunc solum posse Episcopum, admittere Pauperem ad Sacros Ordines, quando de Beneficio, vel alimentis illi provideat. Sed hoc non est dispensare in Paupertate, sed Paupertatem tollere.

CAPUT XXI.

De Irregularitate orta ex defectu ætatis. Remissivè.

Et quinam in illâ dispenset?

1. DE hac latè diximus in Tract. de Ordine cap. 6. §. ibidemque cap. 12. n. 16. addidimus, cum, qui ante requisitam ætatem se initiare per-

- 1 Corporis Infirmetas.
 - 2 Mentis Alienatio.
 - 3 Vitium Corporis.
 - 4 Sexus Fœmineus.
 - 5 Servitus.
 - 6 Infamia.
 - 7 Novitas in Fide.
 - 8 Defectus Scientiæ.
 - 9 Prava Baptismi susceptio.
- Tamburinus de Sacramentis.*

mittit, incidere in suspensionem, unde, si ante dictæ suspensionis dispensationem Ordinibus utatur, incidere in Irregularitatem, ut habuisti in Superioribus, cum de Irregularitate ex Violatione Censuræ c. 14. §. 3.

2. Remanet igitur hic, tanquam in suo loco, indicare, quo modo tollatur ejusmodi ætatis defectus.

3. Breviter, amovetur duobus modis. Primò, ipso temporis decursu; adveniente enim definita ætate, jam evolat Irregularitas ex ætate procedens. Adverte prædictam suspensionem contractam ab eo, qui ante ætatem se initiari permittit, & prædictam Irregularitatem, quam fortè contraxit exercendo Ordines cum suspensione, nunquam tolli, nisi per legitimam dispensationem, ut rectè notat Valentia, a & Sayr. b

4. Secundò, amovetur per dispensationem, non nisi à Pontifice concedendam, tum, si quis promoveri ad Ordines velit, tum, si velit in iis ministrare ante ætatem requisitam; Cum enim Regula c Generalis alias dicta sit, ut illa Irregularitas, quæ susceptionem Ordinum impedit, eadem impediatur usum eorundem, debet etiam ad ministrandum ante ætatem, tibi, quamvis Ordinato, accedere dispensatio potestis eam concedere, qui unus est Pontifex, cum Episcopis nihil circa hoc concessum habeatur in Jure.

a Val. T. 4. d. 19. p. 7. §.

b Sayr. de Cens. l. 6. c. 12. n. 12.

c Sayr. ibid. n. 7. Ca-

stropol. de Cens. d. 6. p.

11. n. 2. alii-

que.

CAPUT XXII.

Summa Prædictorum.

1. ENODATIS jam omnibus Capitibus, unde oritur Irregularitas, operæ pretium est, ea hic uno intuitu collecta rescribere, eo prorsus Ordine, quo in præcedentibus à me sunt explicata, Sunt autem decem & octo.

- 10 Mala Ordinis usurpatio.
- 11 Homicidium.
- 12 Mutilatio.
- 13 Bigamia.
- 14 Natalium defectus.
- 15 Hæresis.
- 16 Obstrictum esse ratiociniis.
- 17 Paupertas.
- 18 Ætas Puerilis.

s. Que